

In hominem similem sibi non habet misericordiam : et de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reservat iram et propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro peccatis illius? q. d. si vermis vermi, caro carni, frater fratri non vult ignoscere, quomodo ignosceat Deus homini, creator creaturæ suæ, Dominus servo? At hic pepercit Dominus servo, non parcat ergo servus conseruo? Nonne bestiae etiam ferocissimæ cum in alias omnes pugnent, in suam tamen speciem mites ac benignæ sunt?

Tertio, non vult remittere modicum, imo nec dilationem dare, qui ingenti debito liberalissime exutus fuit. Quid enim denarius respectu talenti? Decem cruciferi respectu trium millium florenorum? Et quid centum denarii respectu decem millium talentorum? Nonne quod est stagnum respectu oceani: quid insula respectu terræ totius? Et tamen vere deprehendimus tales esse injurias, quæ inferuntur nobis, respectu earum quæ in Deum committuntur, si spectemus quam frequenter, quam multis modis quisque in Deum peccet; quanta item Dei, in quem peccatur dignitas; quam multa et multiplicia crebraque ejus in nos beneficia; quam gravia et iniqua, quæ contra omnem naturæ æquitatem delinquimus.

Quarto, non exoratur iisdem verbis et precandi ritu, quibus ipse exoratur regem. Procidens enim et conseruo rogabat eum simili modo: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Seu surdo iste cecinit; cum tamen alter his verbis decem millium talentorum debitum evitarit.

Quinto, ne prorogare quidem vult conseruo tempus ad solvendum debitum, quia injecta manu obtorto collo eum trahit (ut indicat textus Græcus) neque hoc contentus, vinculis etiam ac carere premit ad genua sua accidentem, cum ipse a suo domino nihil simile passus sit. Suffocatur autem proximum qui corde per odium restricto et amaro eum comprimit: item qui preces vel excusationes ejus non audit.

V. Quomodo igitur mulctatus tandem hic servus? Resp. primo, delatum a conseruis esse ad dominum et tyrannidis accusatum: *Constristati enim sunt valde et venerunt et narraverunt domino omnia quæ facta fuerant.* Hi vero sunt, primo, angeli, quorum unus dixit Joanni, Apoc. XIX. *Vide ne feceris (hoc est, ne adoraveris me) conseruus tuus sum et fratrum tuorum.* Hi enim uti gaudent de nostris bonis, ita suo modo irascuntur et tristantur de peccatis. Narrant vero Deo, tam mala quam bona nostra opera; dum ea Deo representant, ut habemus, Tob. XII. Quandoque etiam vindictam postulant in reprobos, suorum præsertim clientum oppressores, ut in-

dicat Dominus, Matth. XVIII. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, q. d. accusaturi vos, quando qui stant et loquuntur pro suis, uti Zach. I. Secundo, sunt viri s. in Ecclesia, zelo justitiæ præditi; qui cum hujusmodi scelera videre cogantur, nec tamen impedire queant, Deo conqueruntur, uti Elias, III. Reg. XVIII. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel: altaria tua destruxerunt et prophetas tuos occiderunt gladio, Jer. c. XII. Quare via impiorum prosperatur bene est omnibus, qui prævaricantur et inique agunt? David, Ps. CXVIII. *Vidi prævaricantes, et tabescebam.* Et mirum ac horrendum est, Deum dum impiorum scelera audit, magis commoveri ad ultionem, quam dum videt; cavet sibi quisque a justorum querelis et clamoribus.**

Secundo, vocatum esse a domino suo. Vocatur autem per mortem ad rationes alteras reddendas, in quibus non jam misericordiæ, sed justitiæ locus est. Tremenda vocatio! Similis illi, qua e carcere evocatur, vel extrahitur potius, reus ad judicium et supplicium. Non licet hic effugere, non excusare, non defendere: moriendum est, ad judicium pergendum est. Quam his sudant morientes! Quam luctantur in hoc agone! Maxime peccatores, qui male sibi conscii repente abripiuntur eum adhuc in bonis dies suos ducerent. Quod indicat parabola, cum ait: *Tunc vocavit illum dominus.* Tunc inquam; quando servus ita occupatus longe alia agitabat et cogitabat. Ita abreptus ad crucem Aman, dum persequitur Mardocheum: Pharaon in abyssum maris, dum Israelem.

Tertio, exprobratione domini sui ita oppressum esse, ut ne verbo respondere posset. « Serve nequam, inquit, cum decem millia talenta consumpsisset, ait Chrys. hom. XXVII. in Gen. non vocavit eum malum, sed nunc quia conseruo crudelis fuit: Male serve, inquit. » Addit: « Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conserui tui, sicut et ego tui miserus sum? » q. d. ego rex tibi servo peperci, tu noluisti parcere conseruo: ego tibi omne debitum et quidem ingens dimisi, tu noluisti modicum et tribolare: ego omnino donavi, tu noluisti dilationem dare: ego una eum debito te quoque dimisi, tu vero in conseruum etiam sæviisti, eumque in carcerem misisti: ego paucas preces tuas illico audivi, tu easdem a conseruo tuo audire noluisti: quid ad hæc respondere miser potuit? Ne verbum quidem. Velut enim fulmine ictus, vel bovis instar uno Herculis ictu prostratus fuit.

Quarto, ab irato domino traditum esse tortoribus: *Quoadusque redderet universum debitum.* Quatuor hic tremenda sunt. Primo, ira Dei seu vindicta, duplici ex capite gravissima: primo, quia omnipotentis Dei. Ira Assueri et facies inflammata prostravit reginam Esther in terram: ira Nabuchodonosoris accendit fornacem ignis ad quadraginta novem cubitos, ut in eam mitteret tres pueros; qualis igitur, putatis erit ira Dei? Secundo, quia clementissimi patris; amor enim contemptus fit furor; quam etiam ob causam ira Assueri et Nabuchodonosoris tantopere accensa fuit, quod is a dilecta regina, hic a charis sibi ministris offensum se reputarit. Et quid ergo Deum abjicere in gehennam filios suos tanto pretio emptos, et tradere tortoribus.

Secundo, traditio in manus et voluntatem tortorum, ut pro libidine sua omnitormentorum, ludibriorum et vexationum genere sævire in reum possent. Quinam vero hi tortores nisi demones, teterrimi, robustissimi, infensissimi, plurimi quorum vel unus sufficeret ad torquenda multa hominum millia.

Tertio, repetitio et retractatio prioris debiti, non quidem proprie, quasi prior remissio per sequens peccatum irritetur, sed alio quodam modo; ac primo, quia per peccatum sequens æque fiet reus gehennæ ac fuisti per prius, sicque rursus incurres pœnam, quam evitasti per remissionem. Sed hoc est commune omnibus peccatis. Secundo, quia si post beneficium remissionis iterum pecces, propter ingratitude-

gravius delinques, graviusque punieris. Sic Ecclesia servum a se manumissum, si ab eo accusetur, revocare in servitutem potest, c. episcopus XII. q. II. sic ob ingratitude revocantur donationes factæ. Tertio, speciatim quoad propositum, delicta repugnantia principio remissionis, faciunt quodammodo redire pejora delicta, quia efficiunt ut tibi remitti nequeat, qui remissionis formam evertisti, dum alteri non remisisti. Talia sunt odium fratris, invidentia fraternæ gratiæ, hæresis, apostasia, quæ beneficio remissionis directe quasi opponuntur.

Quarto, detentio in tormentis perpetua. Unde enim tantum debitum captivus solvere aliquando posset? Et in inferno uti non est locus gratiæ et merito, ita nec remissio. Ergo qualem se exhibuit servus conseruo, talem se illi exhibebit ibi Deus, durum scilicet et inexorabilem. Et hoc quod ait Ecclesiast. c. XXVIII. *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit, q. d. nunquam dimittet.* Si enim homo homini reservat iram: *Servans servabit et Deus.* Hoc denique est, quod concludit Dominus: *Sic et Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* *Formidolosa sententia, inquit Hieronymus: ex qua videtur B. Jacobus desumpsisse illam aliam: Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.* Sine misericordia namque judicabitur (inquit Augustinus, illam expendens) qui misericordiam non fecit, antequam judicaretur.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

A VINDICTA INFERENDA QUÆ RETRAHERE DEBEANT HOMINEM.

Dei prohibentis vox. — II. Dei exemplum. — III. Dei vindicta. — IV. Honor quem inde reportas. — V. Damnum quod incurris. — VI. Thesaurum quem acquiris.

THEMA.

Sic et Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo ex cordibus vestris.

Matth. XVIII.

Justinianus II. imperator, cum ad Trebellium Bulgarorum regem fugeret in navi, oborta tempestate, in præsentissimum naufragii et submer-

sionis incidit periculum. Sed cum a quodam comite itineris moneretur, ut Deo optimo maximo promitteret omnes injurias inimicis se condonaturum, nec ab ullo pœnas exacturum, a quo læsus esset, acquievit imperator, et promisit; adeoque etiam periculum, sedata tempestate, evasit, et Bulgarorum insuper opera imperio restitutus est. Verum perfidus et ingratus homo non præstitit quod promisit; ideoque tandem meritas pœnas dedit, quando captus a Philippico, securi una cum filio Tiberio percussus est. Refert Zonaras, et ex eo Cuspinianus. Versamur etiam nos, auditores, quamdiu in hoc mundo degimus, in continua tempestate et periculo salutis nostræ æternæ; cum omnes debitores Dei simus, interim vero nesciamus an pro iis satisfacerimus. Quid igitur hic consilii? Unum sugge-

rit nobis in hodierno evangelio Dominus, ut promittamus Deo, quod omnes omnino injurias omnibus inimicis nostris remittere velimus, nec in minimo vindicare. Votum istud Deo adeo placebit, ut et ipse nobis omnia debita nostra condonaturus sit. Testatur enim in hodierno evangelio, quales nos exhibuerimus erga inimicos nostros, talem se futurum etiam erga nos. Voveamus igitur hoc quotquot sumus. Ad hoc vero præstandum votum non una illa, sed complures aliæ stimulant rationes, quas nunc audiemus.

I. Dei inhibentis vox clamat de cælo: *Mea est ultio, et ego retribuam*, Deut. XXXII. Et tu vindictam tibi arrogas? Quando canis tuus in obvium tibi hominem feroci incursat impetu, et tu unica voce eum objurgas; nonne deponit jubam, et posita ferocia, mitis ad te revertitur? Eecur igitur homo non ita obediat Deo, vindictam prohibenti, et parcere jubenti? Vide canem talem, Laban, hominem gentilem et aspero ingenio. Audiens hic fugisse generum et servum suum Jacob cum omni sua substantia, persecutus est eum septem diebus, maxima cum furia vindictam in eum parans, Genes. XXXI. Sed interea dicentem sibi in somnis audit Deum: « Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob; » et ecce ferox iste molossus mox deponit iram: « Et qui tanto impetu, ait D. Chrysost. homil. LVII. in Genes. comprehendere Jacob, et pœnam fugæ de eo sumere volebat, non solum nihil asperum et durum adversus eum loquitur; sed sicut pater filium compellans, ita blandis verbis convenit. Quid fecisti? Vide quanta mutatio! Vide quomodo is, qui, ut bestia insaniebat, ovium imitator mansuetudinem! » Quod ergo barbarus hic et ira æstuans homo potuit præstare, tu non poteris, Christiane? Sed videamus et Christianum, et quidem Roman. imperat. potentissimum, Othonem II. Tractus hic erat a malevolis in odium atrox Hereberti archiepiscopi Coloniensis, eo quod inter alia vir sanctus vocatus ab imperatore, maxima febre detentus, non venisset. Concitatus ergo invidorum maxime stimulis ad iram imperator, excusationi fidem non habens, cum furore respondit: *Si ad me dedignatur venire, ipse eum, quia ægrotat, habeo visitare*; atque cum hac iracundia mox furibundus Coloniæ contendit. Verum ipsa nocte, qua Coloniæ ingressus, cum sopori se dedisset, videt in somnis quemdam quasi venerabilem virum, pontificali veste ornatum, qui sic eum allocutus est: « Cave, o imperator, ne posthac amplius pecces in conservum meum Herebertum. Scito illum Deo esse acceptum; in quem si quid ad-

miseris, tu sine judicio portabis judicium. » Quid multa? Mane factum cum Herebertum advocasset: « Exurrexit et virum Dei amplexatus est, se ab invidis seductum, et in odium ipsius impulsus fassus. Cælum pro te clamat, inquit, indulge ergo, precor te, quod in te indignatus sum; quia peccatum meum cognosco, nec amplius ad dam adversari tuæ sanctitati. Quibus dictis semel, iterum, tertio pontificem osculatus est, » ita Rupertus abbas Tuitiensis, in ejus vita. Potuit verbum præsulis in somnis conspecti adeo convertere imperatorem e leone quasi in agnum, et non possit Dei ipsius mandatum emollire cor Christiani, ut pareat fratri suo!

II. Dei exemplum. Nonne enim ipse tolerat injurias nostras? Illas quamdiu plerumque? Et quoties ac quam facile remittit? Cogitatione David sese continuit, ne vindictam sumeret de exprobratore Semei, ut indicat Ps. XXXVIII. *Cum consisteret peccator adversum me, obmutui et silui a bonis, et (hoc est, quia) dolor meus renovatus est, quasi diceret: Silui ad injurias mihi factas, et contumelias objectas, quia dolui de injuriis Deo a me illatis. Ita exponit S. Chrysostomus: « Cum, inquit, maledictis me incesseret Semei, peccatum a me commissum revocavi in memoriam, considerans quod propter ipsum maledictis appetor et punior, et regia expulsus, fuga cogor meæ salutem consulere. » Cogita et tu, mi homo, longe plures et graviores injurias Deo a te irrogatas, quam ab inimicis tuis tibi sunt illatæ, vel etiam inferri possent: cogita te ipsi debitorem esse decem millium talentorum, inimicorum vero tibi forsitan centum denariorum. Ex eodem fonte videtur fluxisse indulgentia illa Davidis, qua incestum Ammonis, et rebellionem Absalonis filiorum, quasi dissimulando sustinuit, nec, cum posset, acrius quid in eos statuit. Considerabat enim bonus rex se non minori offendisse Deum, quam offensus a filiis, eorumque insolentiam et improbitatem sibi decretam in supplicium et pœnam suorum peccatorum: hinc partim erubescencia, partim proprii peccati conscientia tentus, dissimulare et sustinere potius, quam vindicare voluit paria suis scelera. Accedit quod his ipsis injuriis, quibus nos afficimur, centies millies magis afficiatur Deus, cujus honor tangitur, cum imago ejus violatur. Id videre est in Samuel, I. Reg. VIII. quem sibi a Deo datum judicem cum tandem repudiasset, et pro eo regem sibi postulasset, non doluit hoc Samuel; sensit autem Deus ad ipsum loquens: *Non te abjecerunt, sed me*, q. d. hæc injuria me tangit, qui regnavi super populum; tibi parum aut nihil obest, qui meus dumtaxat vicarius eras. Quando*

igitur hoc ego fero, expectans ultionis tempus, vel populi resipiscentiam, cur tu id non feras?

III. Dei vindicta, quæ vigilat pro nobis, et imminet oppressoribus et calumniatoribus nostris, multo acrior quam possit esse propria. Expertus hoc est servus a conservo suo in hodierno evangelio tentus; qui nunquam sic de ipso vindicare se potuisset, sicut vindicavit dominus, mittendo eum in carceres perpetuos, et tradendo tortoribus. « Quando decem millia talenta debebat, ait in illum locum D. Chrysost. non vocavit eum nequam, neque est conviciatus, sed misertus: quando autem contra servum ingratus est effectus, tunc dicitur: *Serve nequam.* » Satis superque erat hæc Dei ultio prophetæ Zachariæ, quando a rege Joas ingratisimo per summam injuriam lapidibus oppressus fuit. Nihil aliud enim, dum inter lapides moreretur, pro defensione sua fecit aut dixit, quam: *Videat Dominus, et requirat*, II. Paral. XXIV. permittens vindictam Deo, qui certe vidit et requisivit: nam, ante evolutum, adduxit Syrus copias, permodicas quidem, sed quas armavit Dei ultio ea fortitudine, ut infinitam considerent multitudinem, et interficerent cunctos principes populi, quorum consilio Joas oppresserat Zachariam. Cum autem regni templique thesauris vitam suam a Syris redemisset Joas, non tamen diu illius usura gavisus est; nam a propriis servis ægrotus in lecto interemptus est: *In ultionem sanguinis filio Joiadæ, Zachariæ scilicet, ut ait sacer textus. Ad eam Zachariæ vocem videtur aluisse Christus, quando Samaritanus et dæmoniacus a Joasæis Jerosolymis appellatus, respondit: Ego non quaero gloriam meam; est qui quaerat et iudicet*, Joan. VIII. § L. Gloriam igitur et vindictam injuriæ suæ, quam ipse statim poterat quærere, quærendam commisit Patri suo. Quanto potiore jure id faciendum nobis, ad quos non spectat ultio? *Deus enim ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit, dicitur Psal. XCIII. q. d. ille, prout libet, valet vindictam sumere: nobis hoc non licet, neque, si liceret, possemus sicut libet. Jam vero quamdiu expectat Christus tempus vindictæ suæ? Quamdiu tolerat injurias suas? « Tu autem, o Christiane, ait S. August. serm. II. de S. Stephano, quæris vindicari de adversario tuo, qui tibi forsitan injuriam fecit, æstuas, furis, anhelas, festinas vindicari: attende Christum medicum ægritudinis tuæ, attende redemptorem animæ tuæ: propter te peependit in ligno, et nondum est vindicatus; et tu vis vindicari, et non vis tantum ac talem magistrum imitari? Ideo pati voluit, ut tibi patientiæ suæ demonstraret exem-*

IV. PARS ÆSTIVALIS.

plum. » Paraverat quidem Deus Pater jam vindictam in hostes Filii sui, quando, eo in crucem acto, terram concussit, lapides diffudit, solem obscuravit; sed precibus Filii rogantis: *Pater dimitte illis, distulit vindictam, juxta parabolam cultoris vineæ, qui pro sterili ficu oravit: Domine dimitte illam et hoc anno, etc. sin autem, in futurum succides eam; ex parte in excidio temporali per Romanos, plene vero in excidio æterno per seipsum in die judicii. Nimirum Deus non tam suas proprias, quam servorum suorum injurias festinat ulcisci, quasi gravius illas ferat, quam suas. Ita enim, Luc. XVIII. dixit Dominus: *Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum*, Luc. XVIII. Clamant electi, non vocibus, ut vindictam postulent, quin potius orant pro suis inimicis: sed clamant eorum injuriæ, clamant vulnera, clamat sanguis, calumniæ, spoliationes, verbera, vincula; et hoc die ac nocte: *Cito igitur faciet Dominus vindictam*. Quoties hoc deprehendimus in gestis sanctorum! S. Martinus ab obviis militibus cæditur ad necem fere, et ille tacet: sed illico eorum equi velut saxei consistunt, donec culpam deprecantur. Alius eum ferire conatur, sed mox resupinus in terram ruit. Maledicus in S. Anselmum statim equo executitur, et in terram sternitur. Faber illudens sanctitati S. Thomæ Aquinatis, protinus ab ejus mula calcibus in os percussus. Illusor S. Bernardini tegularius, mox e tecto decidit. Qui equum D. Thomæ Cantuariensis episcopi cauda truncharunt, caudas equinas acceperunt, et ad posteros suos propagarunt. Prætereo infinita alia. Unum hoc addo: non modo electorum injurias, sed etiam reproborum Deum inultas non ferre. Scimus enim septuplam ultionem statutam ab eo fuisse in illos, qui occiderent Cainum parricidam: et qui necaret Lamechum, itidem homicidam, septuagies septies fuisse puniendum, Genes. IV. Sed cur gravior de Lamecho, quam de Caino decernitur vindicta? Quia nimirum Lamech scelus suum luctu et lacrymis diluit: *Quia facinoris eum penituit, illum nunquam; misericordiam Dei imploravit, ille abiecit*, inquit Lipomanus ibi. Quando ergo Dei vindicta pro nobis adeo vigilat contra obrectatores nostros, ad quid nos vindictam quærimus? *Cum nos ipsos ulciscimur, Deus nos non defendit: cum autem ipsi concedimus, plus quam expectamus, efficitur*, ait D. Chrysost. hom. LIII. ad popul.*

IV. Honor, quem reportas. Primo, virum te ostendes, qui non moveatur levi aura; quales laudat apostolus ad Philip. II. in sustinendis ethnicorum injuriis invictos: *Sitis simplices filii*

Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. In quem locum S. Anselmus: « Vult, inquit, ut Christiani sint quasi stellæ, quæ in cælo fixæ non curant terrena, sed totæ intendunt, ut suos cursus et motus peragant, lucemque spargant mundo. » Magis ad propositum nostrum S. Augustinus, in Psal. XCIII. « Quanta, ait, de ipsis luminaribus fingunt homines et patienter ferunt? Quomodo justi patienter debent ferre omnes etiam de se falsas criminationes? Hoc ipsum quod jam dudum dixi: Quia illa stella Mercurii est, et illa stella Saturni est, et illa stella Jovis est, convicia fiunt stellis. Quid illæ, cum audiunt tanta convicia? Numquid moventur, aut non exercent cursus suos? Sic et homo, qui in natione perversa et tortuosa habet verbum Dei, sicut luminare est fulgens in sæculo. Cælestes igitur se ostendunt esse, qui injurias contemnunt; imo et divinos: siquidem hoc Deo proprium esse, testatur ipsemet, Ose. XI. cum ait: *Non faciam furem iræ meæ, non convertar ut disperdam Ephraim; quoniam Deus ego, et non homo, q. d. nequaquam ego similis in vindicta hominibus. Homo offensæ vindictam machinatur, ego reconciliationem; homo punit ut perdat, ego ut emendem; homo passione et ira movetur, ego ratione et justitia moveor; homo reputat sibi dedecus, si prior reconciliationem postulet, ego hoc mihi honori duco, observandum etiam in Hebræo, quia El, hoc est, fortis ego sum. Ergo fortium est injurias remittere; quia Dei fortis est. Fallitur proinde et fallit mundus, quando ignoscere, timidorum; ulcisci, fortium et strenuorum esse dicitur.*

Secundo, justum te ostendes et immunem ab eo vitio, quod tibi objicitur. Audiamus testem S. Chrysostomum, hom. XII. in epist. ad Rom. « Quum quidam te injuria affectus, neque finem facit de te apud quosvis obloquendi; tum demum laudato, obloquendo apud eos qui tibi recitant quæ ex illo audierint: hæc certe ratione si illum ulcisci volueris, poteris de eo pœnas sumere. Etenim qui rem exaudiunt, ut sensu etiam maxime careant, te solum collaudabunt: illum contra, utpote quavis noxia fera deteriore, odio habebunt, quod ille quidem nulla provocatus injuria, molestus tibi fuit; tu e diverso vel male ab illo habitus, beneficium pro injuria reposuisti: sic fiet, ut pericias sane quæ in te ille maledicta conjecerit, ea omnia ut futilia esse videantur. Siquidem qui sugillatur mordeturque, is quum propterea dolet, palam facit criminationis objectæ conscius se esse: qui vero ridet, is profecto risu ipso apud eos, qui rei testes

consciique sunt, seipsum omni suspicione liberat. » Huic accedit S. Ambrosius, lib. II. de interpellat. in Job III. *Tacere, inquit, debet, qui recognoscit objectum, ne vulnus exasperet et scindatur cicatrix: tacere et qui non recognoscit; audit enim alterius, non suum crimen. Quod si referat, suum facit: si taceat, retorquet, et conviciantem vulnerat. Exempla hujus fortitudinis affert S. Chrysostomus, hom. LII. ad pop. Annam ab Heli sacerdote et æmula muliere contumeliose habitam; Publicanum a Pharisæo; Miphibosethum a servo, accusatos et contemptui habitos; Magdalenam a Pharisæis probro petitam, et adjungit: *Si vero mulieres et meretrices, et Publicani philosophabantur, et hoc ante gratiam; qua sumus digni venia, qui post tantam gratiam efficitur bestiis feriores, mordentes et calcitrantes?**

V. Damnum quod incurris, si te ipsum vindicet: siquidem te gravius, quam inimicum lædis. Falcones, quando in ardeam toto feruntur impetu, sæpe in ipsa, quam persequuntur, præda, seipsos configunt enecantque. Solet enim ardea, cum ferri in se desuper falconem videt, acutum suum rostrum abdere sub ala, et hosti invadenti ex occulto objicere: unde improvidus falco in se transfigit, ardea remanente illæsa, uti refert Aldrovandus, in ornith. Idem sæpenumero contingit iracundis vindictam molientibus, ut ipsi se conficiant. Wenceslaus VI. imperator, dum ob leve verbum pugionem evaginavit et stringit in pincernam suam, eum confossurus, incidit in paralytin, et terræ alliditur, indeque brevi extinguitur, ut alibi ex Dubravio diximus. Megaresenses effractis caveis immiserunt aliquando leones in suos hostes; verum suo interitu: nam leones in suos conversi cives miserabili spectaculo eos laniantur, Pier. lib. I. c. VIII. Ita prorsus tela ultionis, quæ in inimicum evibramus, in nos ipsos revertuntur, et sauciant animas nostras: quomodo acuti sudes in digitos SS. Crispini et Crispiniani infixi resilierunt velut jacula erinacei in eos qui infixierant, in eorum actis, 25. octob. apud Sur. *Non impellamus ergo, inquit S. Chrysostomus in hodiernum evangelium, hom. LXII. in Matth. adversus pectora nostra mucronem: nunquam enim tantum tibi doloris afferre alius poterit, quantum ipse tibi, si recordatus iræ vindictam quæras. et adversus te ipsum sententiam judicis attrahas.*

VI. Vicissim vero si condonemus inimicis injurias, redundabit ab ipsis in sinum nostrum incomparabilis thesaurus gratiarum et remissionis peccatorum nostrorum. Recenset Jeremias, c. XLI. qua ratione Ismael, quidam de regio semine, in dolo ceperit octoginta viros pergentes

INFANTES ET INSIPIENTES ESSE QUI INJURIAS NON REMITTUNT.

I. Quia ob rem levem commoventur ad iracundiam. — II. Quia in res sæpe innoxias sæviunt. — III. Quia invadunt sæpe benefactores suos. — IV. Quia dum alios feriunt, seipsos gravius lædunt.

THEMA.

Ille autem noluit, sed cecidit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Matth. XVIII.

Verissime Isaias, cap. LV. dixit in persona Dei: *Sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltata sunt visceres mea a visceribus vestris, et cogitationes mea a cogitationibus vestris.* Homines enim vulgo illos magnæ æstimant, reputantque viros fortes ac strenuos, qui nihil injuriæ tolerant, sed vindicare se de inimicis, et vim vi repellere audent: eos vero qui injurias ferunt, condonant aut dissimulant, spernunt velut infantes et imbelles. Sed quid ad hoc os Dei? Prorsus e contrario, magnos asserunt eos, qui sustinent injurias: parvos autem et infantes, imo et stultos qui sufferre nolunt. Ut enim per os Davidis, Psal. LXIII. ait de istorum telis: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Saulis videlicet, Semei et aliorum Davidi inimicorum. Quærebat Saul Davidem ad necem omnino suo conatu, quasi in eo perimendo gloriam adepturus, et vir strenuus evasurus: sed perdidit hoc conatu et gloriam et vitam suam: vicissim vero David, dum ejus injurias patienter sustulit, et regnum ejus adeptus est et gloriam immortalis. Assentitur huic Dei sententiæ Eliphaz, apud Jobum, cap. V. dicens: *Veve stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.* Stulti ergo et parvuli sunt, qui iram in inimicos exerunt. Hoc ut mentibus hominum imprimat Christus Dominus noster, proponit nobis in hodierno evangelio imprimis fortem virum, hominem regem, qui debitori suo ingens debitum supplicanti remisit: deinde, stultum et infantem, servum ejus, qui levissimum æs alienum remittere conservo noluit, sed crudeliter extorsit, ut ab isto exhorreamus, et illum imitemur.

Non in uno tantum parvulum et infantem, imo stultum se ostendit servus iste nequam. Primo, quia ob levissimum debitum centum denariorum iratus fuit, et invasit debitorem: deinde, quia compati potius debuisse ipsius inopiæ, quam irasci: denique, quia per hoc sibi plus obfuit, quam profuit, retractus ad penas. Idem in infantibus et stultis observandum est. Nam:

I. Ob rem levissimam commoventur ad iracundiam.

in domum Domini, et ferentes munera: quos cum occidere cœpisset, decem inter eos reperti sunt, qui dixerunt ad Ismael: *Noli occidere nos; quia habemus thesauros in agro, frumenti, et hordei, et olei, et mellis.* Quo audito, cessavit, et non interfecit eos, promissi spe thesauri. Offeritur nobis ingens thesaurus, si parcamus inimicis: Dei gratia, et impunitas omnium scelerum; quis hæc tanta promissione non moveatur ad parcendum? Quod si vero parcere minime voluerimus, tempus ipsum tandem sepeliet et obliterabit acceptas injurias, et quidem nullo nostro lucro, ut bene observat D. Chrysostomus, homil. LII. ad popul. « Quod tempus facit, ait, hoc propter Dei legem aut tempus facere non sustines? Et sine mercede potius, quam cum mercede vis tibi vitium extinguere? Nec enim si per tempus hoc tibi fiat, erit tibi quidquam amplius, sed multa potius pœna: quoniam quod tempus efficit, hoc facere Dei lex non persuasit. » Videantur hoc quicumque vera sapientia præditi, et Christi doctrina bene imbuti fuere, ideoque non solum inimicis quascumque tandem injurias liberalissime remissere, insuper etiam beneficia non vulgaria impertivere, quibus thesaurum illum sibi compararent. « Alexander patriarcha Hierosolymitanus, cum illi quidam ex notariis suis furatus esset aurum, et metu perterritus fugiens in Thebaidem Ægypti, incidisset vagus et errans in latrones, ac ductus esset ab eis captivus ad extremas Ægypti partes; hoc comperito Alexander redemit eum vinetum ac captivum octoginta quinque numismatibus. Quo reverso, ita pie misericorditerque usus est, ut quidam ex urbis habitatoribus dixerit aliquando: *Nihil esse utilius quam in Alexandrum peccare.* » Ita habet pratum spirit. cap. XXXIV. Sixtus III. papa Bassum, a quo, cum eligeretur in pontificem, injuste accusatus fuerat, paulo post mortuum, linteaminibus involvit, et aromatibus conditum ad S. Petrum sepelivit, ut refert Platina in Sixto III. Alius quidam a convicaneo suo in rixa exoculatus, postea eidem in monasterio constituto, tota vita sua ministravit cum omni sedulitate; quod refert B. Petrus Damiani, l. VI. epist. ep. XXX.

Audivimus quanto jure statuendum nobis, ne injurias vindicemus, sed potius liberaliter remittamus inimicis. Statuat igitur hoc unusquisque apud se et coram Deo, si salutem suam amat. Videat tamen et hoc, ne fidem Deo fallat cum perfido Justiniano, et propterea pœnæ det. Audimus in hodierno evangelio quid actum sit cum ultore servo: audimus et dicentem Dominum: *Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, nisi remiseritis, etc.*